Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1411

Quelle:
Copyright:

In *Cod.* noſtro ſubſcriptum: *Explicit liber contra Errores grecorum a ſancto Thoma de Aquino ordinis predicatorum editus, et finitus procurante Domino Johanne Abbate in Runa in ſacro Baſilien. Concilio* 1437. Aliud exemplar pariter in *Conc. Baſil.* ſcriptum citat *Quetifus*, ut adeo ex ea urbe, eaque tempeſtate multi per orbem libri diditi videantur.

III. *fol.* 168. *Incipit tractatus de auferibilitate pape ab eccleſia magiſtri Joh. Gerſon Cancellarij Pariſien. Uenient autem dies cum auferetur ab ea ſponſus. Marc. 2. circa quem textum pro materia nunc currente queritur* &c. In VIII. nobis *Conſiderationes* diviſus eſt, ſed in edit. *Opp.* ut praefert titulus, *Antverpiae*, reipſa *Amſtelod.* 1706. P. II. *col.* 209. in XX. diſpeſcitur. *Dupinio* paſſim haec tribuitur editio, ſed vide, quid notet *Oudinus* T. III. *col.* 1259 et 2268.

IV. *fol.* 177. absque titulo Opuſculum *Johannis* Patriarchae *Antiocheni*, quo probat: Papam non eſſe ſupra eccleſiam univerſalem, nec conſequenter eſſe ſupra Concilium generale ipſam repraeſentans, ideoque *Eugenium* IV. non potuiſſe diſſolvere Concilium *Baſileenſe* ſine ipſius conſenſu. Initium: *Sacroſancte generali ſynodo Baſilien. in ſpiritu ſancto legitime congregate vniuerſalem eccleſiam repreſentanti veſter devotus humilis Johannes patriarcha Anthiocenus* &c. *Quia nonnulli os ſuum aperientes in celum* &c. Legitur *Collect. Concc. Labb.* T. XVII. edit. *Venet. col.* 706. notaturque praevie compoſitum anno 1434. dictatumque publice ſcribere volentibus *Baſileae in Conventu fratrum minorum in magna quadam ſtufa.* Sed ope Codicis noſtri reſtitui poſſunt loca duo, quae *Labbeus* obſcuritatis merito accuſat. Primo *col.* 707. ubi legit: *Et per illa concilia fierent vice et nomine eccleſiæ univerſalis, illa congregata, quæ per eam fieri poſſent ipſa congregata*, repone: *ut per illa concilia fierent vice et nomine vniuerſalis eccleſie, illâ* (ſcil. eccleſia) *non congregatâ que per eam fieri poſſent, ipſâ congregatâ.* Secundo *col.* 710. ubi ille legit: *et in tali caſu debemus in dubio ampleƈti. Hic poteſt veriſimilius regula inſpici de regulis juris* &c. repone: *et in tali caſu debemus in dubio ampleƈti id, quod eſt veriſimilius regula inſpicimus de regulis juris l. 6.* &c. Ceterum mirum, *Johannem* Patriarcham *Antioch.* contrariam de Poteſtate Concilii et Papae tenuiſſe ſententiam in Concilio *Conſtant.* ut habes in Annal. *Bzovii* ad *an.* 1415. et in *Herm. von der Hardt Actis* hujus *Conc.* T. II. p. 296.

V. *fol.* 187. p. 2. fine titulo, Acta et Deliberata in Concilio *Baſileenſi* circa admiſſionem Legatorum *Eugenii* IV. Initium: *In ſacro generali Baſilien. Concilio die lune XV februarij Anno domini MCCCCXXXIIII. apud eccleſiam maiorem in congregatione generali per Johannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum*

Epiſcopum